



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **YENDENSIS*** NOVA DIOECESIS CONDITUR IN GANA, YENDENSIS APPELLANDA Sollertem sane curam atque alacrem diligentiam continenter adhibemus ut Domini salutare nuntii ipsiusque praecepta omnia loca contingant et quam efficacissime per orbem terrarum populos. Idcirco Nos cuncta disponere properamus ut hoc facilius commodiusque eveniat. De consilio igitur Congregationis pro Gentium Evangelizatione, audita quorum interest sententia, novam dioecesim condimus *Yendensem* appellandam, quae territorium districtuum civilium *Yendi, Gushiegu-Karaga, Bimbilla, Saboba-Chereponi, Zabzugu-Tatale*, ab orientali parte distractorum archidioecesis Tamalensis, complectetur. Novam dioecesim Metropolitanæ Ecclesiae Tamalensis suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Cathedram episcopalem in templo Beatae Mariae Virginis de Lourdes, in urbe sito quod *Yendi* vocant, locamus. Cetera vero seeundum leges canonicas agantur et temperentur. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Andream Dupuy, Archiepiscopum titulo Saelesiensis et in Gana Apostolicum Nuntium, legamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re tandem ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur, contrariis rebus minime officientibus quibuslibet. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die sexto decimo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo nono, Pontificatus Nostris vicesimo primo.*

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*

Marcellus Rossetti, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCI (1999), n. 7, p. 598 © Copyright 1999 - Libreria Editrice Vaticana